

Regio glacialis ea pars est summorum alpium, qua nix accumulata vento nonnihil liquescit æstate, neque tamen amplius, quam superior plaga; unde subjacens stratum, aqua superne hausta, in montem excrevit glaciale. Nix tali modo concreta quotannis fere augetur. In hac regione Lichenes, nec non plantæ quædam vegetare solent, in primisque aqua nivali delectantur, ut *Agrostis algida*, *Ranunculus glacialis* etc.

Regio alpina pars est inferior alpium nuda, qua nives maxima parte quotannis solvuntur, unde vegetatio alpina, cujus vis in contrahendo ac minuendo sita est. Hic frutices subterraneæ fere, ramulis tantum foliisque de terra eminentibus; plantæ herbaceæ humiles sæpe in superficie terræ serpentes, floribus paucioribus, at respectu totius plantæ grandioribus, vi vegetationis *collectivæ*, qua plures quasi in paucis continentur. In hac regione partes plantarum abbreviatæ et incrassatæ observantur, unde folia crassiuscula et vulgo breviora.

§. 47.

Ad regionem alpinam, præter ea, quæ supra memoravimus, hæc sunt deferenda. *Statice Armeria* γ . *alpina* (vide supra). *Polygonum viviparum* β ., *Stellaria graminea*